

DE NAVIGATIONE ILLVSTRIS ET MAGNANIMI Equitis Aurati Humfredi Gilberti, ad deducendam in novum orbem coloniam susceptâ, carmen ἐπιβατικὸν

STEPHANI PARMENII BVDEII.

LONDINI,
Apud Thomam Purfutium.
An. 1582.

Ornatissimo domino Gotfrido Grummannio in testimonium amicitiae autor dat in Westminster 1582. 21 Junij

AD EVNDEM ILLV-
strem Equitem autoris præfatio.


Eddenda est, quàm fieri potest breuissimè, in hoc vestibulo, ratio facti mei, & cur ita homo nouus & exterus, in tanta literatissimorum hominum copia, quibus Anglia beata est, versandum in hoc argumento mihi putaverim: ita enim tu fortissime Gilberte, fœtum hunc nostrum in lucem exire voluisti. In servitute & barbarie Turcica, Christianis tamen, magno immortalis Dei beneficio, parentibus natus, aliquam etiam ætatis partem educatus; postquam doctissimorum hominũ opera, quibus tum Pannoniæ nostræ, tum imprimis saluæ adhuc earum reliquiæ florescunt, in literis adolevissem, more nostrorum hominum, ad invisendas Christiani orbis Academias ablegatus fui. Qua in peregrinatione, non solùm compluria Musarum hospitia, sed multas etiam sapienter institutas respublicas, multarum ecclesiarũ probatissimas administrationes introspeximus, iam fermè triennio ea in re posito. Fuerat hæc nostra profectio ita à nobis comparata, vt non tantùm mores & vrbes gentium videndum, sed in familiaritatem, aut saltem notitiam illustriorum hominum introëundum nobis putaremus. Cæterùm, vt hoc à nobis sine invidia dici possit, (certè enim taceri absque malicia nullo modo potest), non locus, nõ natio, non respublica vlla nobis æquè ac tua Britannia complacuit, quamcunque in partem eventum consilij mei considerem. Accedit quòd præter omnem expectationem meam, ab omnibus tuis ciuibus, quibuscum aliqua consuetudo mihi contigit, tanta passim humanitate ac-

ceptus essem; vt iam (sit hoc salua pietate à me dictũ) suauissimæ Anglorũ amicitiæ, fermè aboleverint desiderium & Pannoniarum & Budæ meæ, quibus patriæ nomẽ debeo. Quas ab caussas, cùm sæpenumero animus fuisset significationem aliquam nostræ huius voluntatis & existimationis edendi; accidit vtique secundùm sententiam, vt dum salutandis & cognoscendis excellentibus viris Londini operam do, ornatissimus ac doctissimus amicus meus Richardus Hacletius ad te me deduxerit, explicato mihi præclarissimo tuo de ducenda propediem colonia in novum orbem instituto. Quæ dum aguntur, agnoscere potui ego illud corpus & animum tuum sempiternæ posteritatis commemoratione dignum, & agnovi profectò, eáque tali ac tãta obseruantia prosequi cæpi; vt cum paullò post plura de tuis virtutibus, & rebus gestis passim audissem, tempus longè accommodatissimum existimarem esse, quo aliqua parte officij studijque nostri, ergà te et tuam gentem persungerer. Hoc est primum ovum, vnde nostrum ἐπιβατικὸν originem ducit. Reliquum est, vt eas & redeas quàm prosperrimè vir nobilissime, & beneuolentia tua, autoritate, ac nomine, tueare studium nostrum. Vale.

AD THAMESIN.

Amnis, inoffensa qui tàm requiete beatus
	Antipodum quæris iam tibi in orbe locum:
Nunc tibi principium meritæ, pro tempore, laudis
	Fecimus, & raucæ carmina prima tubæ.
Tum cum reddideris, modo quam dimittimus Argo,
	Ornatu perages gaudia festa novo.

Quæ nostrum subitò mutati gratia cœli?
Vnde graues nimbi vitreas tenuantur in auras?
Diffugiunt nebulæ, puroq; nitentior ortu
Illustrat terras, clementiaq; æquora Titan?
Nimirum posuere Noti, melioriq; resurgit
Eurus, & in ventos soluuntur vela secundos,
Vela quibus gentis decus immortale Britannæ
Tendit ad ignotum nostris maioribus orbem
Vix notis Gilebertus aquis. Ecquandò licebit
Ordiri heroas laudes, & facta nepotum
Attonitis memoranda animis? si cæpta silendum est
Illa, quibus nostri priscis ætatibus audent
Conferri, et certare dies: quibus obuia plano
Iamdudum Fortuna solo, quibus omne per undas
Nereïdum genus exultat, faustoq; tridenti
Ipse pater Nereus placabile temperat æquor.
Et passim Oceano curui delphines ab imo
In summos saliunt fluctus, quasi terga pararent
In quibus euectæ sulcent freta prospera puppes.
Et quasi diluuium, tempestatesq; minatur
Follibus inflatis inimica in vela physeter.
Et fauet Ægæon, & qui Neptunia Proteus
Armenta, ac turpes alit imo in gurgite phocas.
Atq; idem modò ab antiqua virtute celebrat
Sceptra Chaledonidum: seclis modò fata futuris
Pandit, & ad seros canit euentura minores.
Vt pacis belliq; bonis notissima vasto
Insula in Oceano, magni decus ANGLIA mundi;
Postquam opibus diues, populo numerosa frequenti,
Tot celebris factis, toto caput extulit orbe?

Non incauta ſui, ne quando immenſa poteſtas
Pondere ſit ruitura ſuo, nova mœnia natis
Quærat, et in longum extendat ſua regna receſſum:
Non aliter, quàm cùm ventis ſublimibus aptæ
In nidis creuere grues, proficiſcitur ingens
De noſtra ad tepidum tellure colonia Nilum.
Euge ſacrum pectus, tibi, per tot ſecula, ſoli
Servata eſt regio nullis regnata Monarchis.
Et triplici quondam mundi natura notata
Margine, et audacem quarto dignata Columbum;
Iam quintâ luſtranda plagâ tibi, iamq; regenda
Imperio ſupereſt. Europam Aſiamq; relinque,
Et fortunatam, nimiùm niſi ſole propinquo
Arderet Libyen: illis ſua facta viaſq;
Terminet Alcides: abs te illuſtranda quieſcit
Parte alia tellus, quam non Babylonia ſceptra,
Non Macedûm invictæ vires, non Perſica virtus
Attigit, aut unquam Latiæ feriere ſecures.
Non illo ſoboles Mahometi mugijt orbe:
Non vafer Hiſpanus cœlo, ſuperiſq; relictis
Sacra Papæ humano crudelia ſanguine fecit.
Illic mortales hominumq; ignota propago;
Sive illi noſtræ veniant ab origine gentis,
Seu tandē à priſca Faunorum ſtirpe ſuperſint
Antiqua geniti terra, ſine legibus urbes
Syluaſq; et pingues habitant civilibus agros:
Et priſcos referunt mores, vitamq; ſequuntur
Italiæ antiquæ, et primi rude temporis ævum.
Cum genitor nati fugiens Saturnus ob iram
In Latio poſuit ſedem, rudibuſq; regendos
In tenues vicos homines collegit ab agris.

Aurea

Aurea in hoc primùm populo cæpisse feruntur
Secula, sicq; homines vitam duxisse beati;
Vt simul argenti percurrens tempora, & æris,
Degener in durum chalybem vilesceret ætas;
Rursus in antiquum, de quo descenderat, aurum
(Sic perhibent vates) ævo vertente rediret.
Fallor an est tempus, reuolutoq; orbe videntur
Aurea pacificæ transmittere secula gentes?
Fallor enim, si quassatas tot cladibus vrbes
Respicio, et passim lacerantes regna tyrannos:
Si Mahometigenis Asiam Libyamq; cruento
Marte premi, domitaq; iugum ceruice subire:
Iamq; per Europæ fines immane tribunal
Barbari adorari domini, Dacisq;, Pelasgisq;,
Æmathijsq;, omnique solo quod diuidit Hebrus,
Et quondam bello invictis, nunc Marte sinistro
Angustos fines, parvamq; tuentibus oram
Pannoniæ populis, et prisca in gente Liburnis:
Tum verò in superos pugnas sine fine cieri
Patribus Ausonijs: ardere in bella, necesq;
Sarmaticas gentes: et adhuc à cæde recenti
Hispanum sancto Gallumq; madere cruore.
Non sunt hæc auri, non sunt documenta, sed atrox
Ingenio referunt ferrum, et si dicere ferro
Deteriora mihi licet, intractabile saxum.
At verò ad niueos alia si parte Britannos
Verto oculos animumq;, quot, ô pulcherrima tellus,
Testibus antiquo vitam traducis in auro?
Namque quòd hoc summũ colitur tibi numen honore
Quo superi, atq; omnis geniorum casta iuuentus

Illius ad sacra iussa vices obit, arguit aurum.
Quòd tam chara Deo tua sceptra gubernat Amazon,
Quàm Dea, cum nondum cœlis Astræa petitis
Inter mortales regina erat, arguit aurum.
quòd colit haud ullis inclusas mœnibus vrbes
Aurea libertas, et nescia ferre tyrannum
Securam ætatem tellus agit, arguit aurum.
quòd regio nullis iniuria gentibus, arma
Arma licet ferruginea rubicunda quiete
Finitimis metuenda gerit tamen, arguit aurum.
quòd gladij, quòd mucrones, quòd pila, quòd hastæ
In rastros abiere, et bello assueta iuventus
Pacem et amicitias dulces colit, arguit aurum.
Deniq; si fas est auro connectere laudes
Æris, et in pacis venerari tempore fortes;
quot natos bello heroas, quot ahenea nutris
Pectora? sint testes procerum tot millia, testes
Mille duces, interq; duces notissima mille
Illa cui assurgunt Musæ, quam conscia Pallas
Lætior exaudit Gileberti gloria nostri.
Illius auxilium, et socialia prælia amici
Mirantur Belgæ, & quamuis iniustus Iberus
Commemorat iustas acies, domitasq; per oras
Martia victrices formidat Hibernia turmas.
Illum oppugnatæ quassatis turribus arces,
Illum expugnatæ perruptis mœnibus vrbes,
Fluminaq; & portus capti, hostiliq; notatum
Sanguine submersæ meminere sub æquore classes.
Hìc ubi per medios proiectus Sequana Celtas
Labitur & nomen mox amissurus, & vndas.
Omnia si desint, quantum est ingentibus ausis
Humani

Humani generis pro pace, bonoque pacisci
Tàm varios casus, freta tanta, pericula tanta?
Linquere adhuc teneram prolem, & dulcissima sacri
Oscula coniugij, numerantemq; ordine longo
Aucheriam digitis in mollibus, æquora mille
Formidanda modis, et si quid auusq; paterq;
Aucherij moveant, exempla propinqua docentem:
Qui dum pro patriâ laudem et virtute sequuntur,
Obsessi in muris soli portisq; Caleti
Præposuere mori, quàm cum prodentibus vrbem
Et decus Albionum, turpi superesse salute.
quodsi parua loquor, nec adhuc fortasse fatenda est
Aurea in hoc iterum nostro gens vivere mundo,
quid vetat ignotis vt possit surgere terris?
Auguror, & faueat dictis Deus, auguror annos,
In quibus haud illo secus olim principe in vrbes
Barbara plebs coëat, quàm cùm nova saxa vocaret
Amphion Thebas, Troiana ad mœnia Phœbus.
Atq; vbi sic vltro iunctas sociauerit ædes,
Deinde dabit leges custoditurus easdem;
In quibus ignari ciues fraudumque, dolique,
A solida assuescant potius virtute beari;
Quàm genio et molli liquentia corpora vita
In Venerem ignauam, pinguemq; immergere luxum:
quàm nũmos, quàm lucra sequi, quã propter honores
Vivere ad arbitrium stolidæ mutabile plebis.
Non illic generi virtus, opibusve premetur
Libertas populi, non contrâ in deside vulgo
Oppugnabit opes ciuis sub nomine pauper:
quisque suo partem fœlix in iure capesset,
Tum sua magna parens ingenti fœnore tellus

Exiguo ſudore dabit bona: cura iuuentam
Nulla adiget ſenio, nec ſic labor ocia tollet
Quominus è virtute petant ſua commoda cives.
O mihi fœlicem ſi fas conſcendere puppim:
Et tecum patriâ (pietas ignoſce) relictâ
Longinquum penetrare fretum, penetrare ſorores
Mecum vnâ Aonias, illic exordia gentis
Prima novæ ad ſeros tranſmittere poſse nepotes!
Sed me fata vetant, memoraturumq; canorâ
Inclyta facta tubâ, ad clades miſerabilis Iſtri
Invitum retrahunt. His his me fata reſeruent:
Non deerit vates, illo qui cantet in orbe
Aut veteres populos, aut noſtro incognita cœlo
Munera naturæ; dum ſpreto Helicone manebit
Illa Aganippæis ſacrata Oxonia Muſis.
Dum loquor in viridi feſtinant gramine Nymphæ,
Impediuntque comas lauro, & florentis olivæ
Frondibus armantur, dominatricemq; frequentes
Oceani immenſi longè venerantur Elisam.
Illa autẽ ad gelidum celſis de turribus amnem
Proſpicit, & iamiam Tameſino in patre tuetur
Paulatim obliquis Gilebertum albeſcere velis.
Sic dea Peliaco ſpectaſse è vertice Pallas
Fertur Iaſonios comites, ad Phaſidos vndas
Vix benè dum notis committere carbaſa ventis.
Diua faue, nutuq; tuo ſuſcepta parari
Vela iuua; Si ſola geris digniſsima totum
Talibus auſpicijs proferri ſceptra per orbem.
Propterea quia ſola tuos ita pace beaſti
Tranquilla populos, vt iam te principe poſsit
Imperij

Imperij modus augeri. Quia sola videris
Quo niueæ Charites, quo corpore Delia virgo
Pingitur: & iusto si sit pro teste vetustas;
Talibus audimus quondam de matribus ortos
Semideos homines: tali est de sanguine magnus
Siue Hector genitus, siue Hectore maior Achilles:
Duntaxat sine fraude vlla, sine crimine possint
Vlla tibi veterum conferri nomina matrum,
Quæ sexum factis superas, quæ patribus audes
Nympha, dijs dignas laudes æquare Latinis.
Mentior infœlix, nisi sic in corpore virtus
Lucet formoso, ceu quæ preciosior auro est
Gemma, tamen pariter placituro clauditur auro.
Mentior, & taceo, nisi sola audiris vbiq;
Induperatorum timor aut amor, inter & omnes
Securam requiem peragis tutissima casus:
Dum reliqui reges duro quasi carcere clausi
Sollicitis lethi dapibus, plenoque fruúntur
Terrificis monstris furtiva per ocia somno.
Mentior & taceo, solam nisi vivere cives
Æternùm cupiunt: quando nec verbere torto,
Nec cædis pœnæve thronum formidine firmas:
Sed tibi tot meritis maiestas parta, et inermis
Ad patulos residet custos clementia postes:
Vt quot penè rei iustum meruere tribunal,
Tot veniam grato narrent sermone clientes.
Nec tamen admittis, nisi quod iustumq; piumq;
Agnoscit probitas, & quæ potes omnia, solis
Legibus vsurpas cautas sanctissima vires.
Nec mala formidas: siquidem quasi fune ligatur
Consilio

Consilio fortuna tibi: Nullum impia terret
In castris Bellona tuis; quin pronus adorat
Gradiuus tua iussa pater, sequiturq; vocantem
Quacunq; ingrederis grato victoria plausu.
Dumq; fores aliis, vitamq; & regna tuetur
Ianitor externus, cingunt tua limina ciues:
Dumq; alijs ducibus sordet sapientia, sacro
Pegasidum tu iuncta choro, tot Apollinis artes
Aurea vaticina fundis quasi flumina lingua.
Audijt hæc mundus, cunctisq; in finibus ardet
Idcircò parère tibi: et quæ fortè recusat
Miratur vires regio tamen. Hinc tua sceptra
Incurua Mahometigenæ ceruice salutant:
Hinc tua pugnaces properant ad fœdera Galli:
Dumque sibi metuit toties tibi victus Iberus,
Nescia Romano Germania Marte domari
quærit amicitias Britonum: procul oscula mittit
Virgineis pedibus Latium, longèq; remoti
Pannones in tutos optant coalescere fines.
Magnanimi iuvenes, et qui Gilebertia cunque
Signa comes sequeris, consors vitæque necisque,
Quandoquidem audimur, votisque vocata virago
Annuit, eia age rumpe moras, quantũq; per auras
Accelerare datur, properantibus vtere velis.
Nonne vides quæ submisso diademate nuper
Obtulit invictis fascesque fidemque Britannis,
Nonne vides passis vt crinibus horrida dudum
Porrigit ingentem lugubris America dextram?
Et numquid lacrymas, inquit, soror ANGLIA nostras
Respicis, et dura nobiscum in sorte gemiscis?

An

An vero nescisse potes, quæ tempora quantis
Cladibus egerimus? postquam insatiabilis auri,
Nam certè non ullus amor virtutis Iberos
In nostrum migrare solum, pietasve coëgit.
Ex illo, quæ sacra prius væsana litabam
Manibus infernis, sperans meliora, tuumq;
Discere posse Deum, iubeor mortalibus aras
Erigere, et mutas statuas truncosq; precata
Nescio quod demens Romanum numen adoro.
Cur trahor in terras? si mens est lucida, puris
Cur Deus in cœlis rectâ non quæritur? aut si
A nobis cœlum petitur, cur sæpe videmus
Igne, fame, ferro subigi, quocunq; reatu
Oenotriæ sedis maiestas læsa labascit?
Non sic relligio, non sic me iudice gaudet
Defendi sua regna Deus, quòd si optimus ille est,
Quòd si cuncta potest, et nullis indiget armis.
Mitto queri cædes, exhaustaq; mœnia bello:
Mitto queri in viles tot libera corpora servos
Abiecta, immaniq; iugum Busiride dignum.
Te tantum fortuna animet tua, te tua virtus:
Si tibi tam plenis habitantur mœnibus urbes,
Vt nisi in excelsum crescant, cœloq; minentur
Ædes aëriæ; quanquam latissima, desit
Terra tamen populo. Si tot tua flumina nigrant
Turrigeras arces imitatæ mole carinæ,
Quot non illa natant eadem tua flumina cygni.
Si tibi iam sub sole iacens penetratus utroq; est
Mundus, utroq; iacens peragrata est terra sub axe.
Ni frustrà gelidam vectus VVilobejus ad arcton.

Illa in gente iacet, cui dum sol circinat umbras,
Dimidio totus vix forsitan occidit anno.
Ni frustrà sub perpetuis aquilonibus ausi
Burrhoidæ fratres Scythicum sulcare profundum,
Invenere solum et vasto noua littora flexu:
Vltra quæ quales populi, quæ natio terras
Incolat (in vero nisi si quid fabula possit)
Nondum scire dedit reliquo mundi arbiter orbi.
Ni frustrà per Cimmerios, syluisq; propinqua
Flumina Riphæis eoa profectus ad usq; est
Mœnia Gincisonus, Persasq;, et proxima Persis
Bactra, et Bactrorum confines regibus Indos.
Ni frustrà quæsiuit iter, duraq; bipenni
Illo Forbiserus reditum sibi in æquore fecit,
Horridum ubi semper pelagus, glacieq; perenni
Frigora nativos simulant immitia montes.
Ni frustrà, quod vix vlli tot secla dederunt,
Hâc tuus immensum nuper Dracus ambijt orbē,
Quà patri Oceano clausas circumdare terras
Concessit natura viam, mediaq; meare
Tellure, & duplici secludere littore mundos.
Iam si fortuna, iam si virtute sequare
Digna tua; sunt monstra mihi, sunt vasta gigantum
Corpora, quæ magno cecidisse sub Hercule non sit
Dedecus, Ogygius non quæ aspernetur Iacchus.
Quæ si indigna putas, tantaq; in pace beata
Aversare meos multo vt tibi sanguine fines
Invidiosa petas: est nobis terra propinqua,
Et tantum bimari capiens discrimen in isthmo.
Hanc tibi iamdudum primi inuenere Britanni,

Tum

Tum cum magnanimus noſtra in regione Gabotus
Proximus à magno oſtendit ſua vela Columbo.
Hæc neque vicina nimiùm frigeſcit ab arcto,
Sole nec immodico in ſteriles torretur arenas;
Frigus et æſtatem juſto moderamine ſeruat,
Sive leves auras, grati ſpiracula cœli,
Seu diæ telluris opes, et munera curas.
Pone age te digno tua ſceptra in honore, meoq;
Iunge ſalutarem propius cum littore dextram.
Sit mihi fas aliquam per te ſperare quietem,
Vicinoq; bono lætum illuceſcere Solem:
quòd ſi conſilijs ſuperùm, fatiſq; negatum eſt
Durare immenſum magna infortunia tempus.
quòd ſi de immerita iuſtum eſt ceruice revelli
Ignarum imperij dominum, populiq; regendi.
quòd ſi nulla unquam potuit ſupereſse poteſtas,
Ni pia flexilibus pareret clementia frenis
Obſequium. A miti quæſita potentia Cyro
Amiſsa eſt ſæuæ ſoboli. Parcendo ſubegit
Tot reges Macedûm uirtus, tot poſtera ſenſim
Abſcidit a parto tandem inclementia regno.
Et quod Romuleis creuit ſub patribus olim,
Imperium diri ſemper minuêre Nerones.

* *
*

